

burg  
181





DISSERTATIO JURIDICA  
DE  
OBSIDIBUS.

Quam

Deo O. M. clementer annuente,

Sub PRÆSIDIO

DN. JOHANNIS  
TESMARI,  
ANTECESSORIS in Alma  
Cattorum,

*Ad diem XXIV. Martii, loco horisq̄ue ordinariis,  
Publicè propugnatum ibi*

HENRICUS WAGENFELDT,  
BREM. SAXO, Auth.



MARBURGI CATTORUM,  
Typis SALOMONIS SCHADEWITZII, Acad. Typogr.  
Anno M, DC, LXXVII.

DISSERTATIO JURIDICA

DE

OBSEQUIIS

QUM

Doct. M. Clementenmann

Sub Titulo

DN. JOHANNIS

TESMARI,

ANTECESSORIS in Alma

Caesarij

Universitate Lipsiensi

habere proposuit

HENRICUS WAGENFELDT,

Mag. Jur. Lipsiensi



MARSBURGI CAESARIUM

Typis Salomonis Schaeferi, Act. Typogr.

Anno MDCCLXXII





I. N. D. N. I. C.

I.



I, quod Ulpianus in l. 1. pr. ff. de constit. pec. omnes perentiscerent quod grave sit fidem fallere, non tam frequens esset jurisjurandi commercium, sed cum Schythis colendo fidem juraremus. Si, quas mundus habet speciosas divitias, non essent vitreae & in splendore maximo saepiuscule frangerentur, cautivibus fide iustitiam non adeo ferverent judicia; minus de iisdem Doctorum commentaria turgerent. Omnis quoque hoc pacto de pignoribus & hypothecis materia felicissimè sterileceret cum Satyrico Martialis epigrammate lib. 12. 25.

*Cum rogo te nummos sine pignore, non habes inquis,*

*Idem, cum pro me spondes agellus habes,*

*Quod mihi non credis veteri, Telesine, sodali,*

*Credis colliculis arboribusq; meis.*

II. Mihi de themate (cujus pro virtum modulo tenuis elaboratio à me suscipitur excitandis & promovendis benignè de me meisque studiosis sentientium iudiciis, non inani famæ obrentu) alicujus dissertationis anxio certa est destinatio superioribus affine, sed quod in publicum magis porrigitur, eligendi, Quippe laudare nequeo mentem privata

A 2

publicis

publicis undiquaque antepontium. Hisce etenim domi infructuosa sordent, & loco promuldis est illud Taciti *ann. 1. c. 28.* Tarda sunt quæ in commune expostulantur, privatam gratiam statim mereare, statim recipias. Instituto proin & nostris cheu: nimum Martialibus temporibus non aptior se suggerit de *obsidibus* materiã.

III. Hujus origo, ut alia juris gentium, ex voluntate ortum habentis, plurima, in obscuro latere videtur. Nam dubium esse potest nemini, vel leviter in historicis versato, quod, si non omnes, plerasque tamen apud gentes, quarum consuetudines plenius descriptas habemus, obsides dare & accipere in morem abierit. Pelopidas Thebanus, Alexandrum inter Macedonia & Ptolomæum Ægypti Reges arbiter, finivit controversiam Philippum Alexandri fratrem & triginta pueros nobiles obsides Thebas deducendo, Plutarchus in *Pelopida*. De Germanis nostris audiamus Tacitum de *eorundem moribus* c. 8. Longè impatientius foeminarum suarum nomine timent, adeo, ut efficacius obligentur animi civitatum, quibus inter obsides puellæ quoque nobiles imperantur. Idem *Ibid.* c. 20. Sororum filius idem apud avunculum, qui apud patrem honor. Quidam sanctiorem arctioremque hunc nexum sanguinis arbitrantur, & in accipiendis obsidibus magis exigunt, tanquam ii & animum firmitus, & domum latius teneant.

IV. Sed nimum exeresceret hic discursus, si de omnibus sigillatim populis testimonia hic transcriberem: Privato cujusque studio hoc lubens relinquo. Idque eò libentius, quod in academia commorantibus librorum curtiore evenire soleat suppellex, ejus vasta series, multis annis evolvenda, ingenium juvenis, in quod multa lectio cum fructu non cadit, magis etiam obrueret, quam juvaret: Ingens humanæ



humanæ imbecillitatis patrocinium necessitas. Taceo,  
quòd mihi propositum non sit tam exemplis, quàm jure  
niti, cùm historix non solum justè, sed & iniquè, iracundè,  
impotenter facta memorent.

V. Priusquam verò ad ipsam obsidum essentia ac ju-  
rium eò spectantium enodationem plenè descendam, non  
absurdum duco, obsidum usum sacro, civili, & canonico  
testimoniis probare. Quod enim nostra, in quæ miserè  
incidimus, attingit tempora, illum in viridi esse observantia,  
flexibilis experientia neminem ignorare patitur. Adeò, ut de  
obsidibus tractare non sit aniles fabulas, sed de argumento  
in ipsis rerum argumentis obtinente agere. E sacro codice  
hoc sit instar omnium, quod *Gen. c. 42.* de Josepho fratrem  
Simeonem obsidis loco retinente legimus. In jure civili  
inspiciantur *l. obsides ii. ff. qui testam. fac. poss. l. Divus 31. &  
32. ff. de jure fisci. l. 4. ad L. Jul. Maj.* in canonico verò evolva-  
vel *cap. suppliciter 18. caus. 23. q. 8.*

VI. *Obsidem*, Germanicè *Geißel* fortè quia dans illo  
exquisitissimè flagellatur, Festus ait dici quasi *ob fidem*, ori-  
gine sine dubio non Grammatica, sed quæ est ex usu.

*Quem penes arbitrium est, & vis & norma loquendi.*

Cùm verò fides alia sit *publica*, alia *privata*, fateor ex vi vo-  
cis obsidem utrique applicari posse. Sed ut aliàs sæpe, sic  
& hinc nomen generis speciei ad hæc excellentiore ita, ut  
obsidem vocemus, qui ob fidem publicam datus est. In  
qua pressiori acceptione illum definitio, aut, si putas nimis  
hoc periculosum *per l. 202. ff. de reg. jur.*, describo potius,  
quòd sit: *Persona alienius imperio tradita in fidei publica secu-  
ritatem.* Alii, ut est apud Larream *dec. Granat. p. 1. disp. 9. n. 8.*  
obsides ex eo dici putant, quòd obsidionis tollendæ causâ  
ferè semper traduntur,

VII. Verum ut cum obsidum natura, cum allata definitio eò pateat clariùs, eam per partes explicare aggredior. Quando itaque *personam* dico, non excludo personas, quæ non speciem, sed numerum saltem variant, qui in obsidum materia vagus semper fuit. Hering. *de fidejussorib. c. 9. n. 43.* Puto enim plures aut pauciores obsides sumi posse, pro circumstantiarum ratione. Ab Aretinis 120. à Carthaginensibus trecentos nobilissimos pueros accipere, Samnitibus verò sexcentos equites Romanos obsides dedere Romani. Liv. *dec. 1. lib. 9. & dec. 3. lib. 7.* Anno salutis nostræ MDXXVI. 14. Febr. Franciscus Major, Rex Galliarum, Carolo Imperatori Franciscum & Henricum filios obsides tradidit, Bodinus *de republ. lib. 5.* Anno MDLII. Regis Galliz nomine obses datus Gamæus Marchianus; nam alter, Nantolietus, in via mortuus erat. Principum nostrorum obsides verò erant, quos Regi dabant, Christophorus, Dux Megapolitanus, & Landgravius filius Philippus, Schleidan, *de Stat. relig. & reip. sub Carol. V. lib. 24.*

VIII. Nec porro distinctio hæc locum reperit in sexu imbecilliori. Universaliter namque verum est illud Tullii in offic. quòd oris nostri partem patria, omnes omnium charitates complectens, sibi vindicet. Sic Porfennæ, Regi Hetruriz, virgines ab ipsis Romanis obsides datas fuisse legere est apud Plin. *lib. 24. c. 6.* Cui & addi potest id, quod ex Tacito suprâ notavimus. Quòd verò uti tæminæ regulariter à publicis & civilibus officiis remotæ sunt *l. 2. ff. de reg. jur. l. 12. §. 2. ff. de judic.* ita nec pro alio intercedere possunt, *l. 1. §. 1. l. 2. ff. de constit. pec.* cujus varios modos *in l. 6. 7. §. 8. & 14. l. 19. ff. ad SCtum Vellej. l. 4. C. cod. &* plenius explicatos invenies in DD. *comm. ad dd. tit.*, est juris civilis, quod negotio huic per omnia applicari nequit, maximè in obsidibus

dibus à summis imperiis datis & acceptis, quæ jus Iustitia-  
næum in se stringi graviter ferunt. Si enim illud ne Princi-  
pem quidem proprium l. 31. ff. de LL. aut universitatem,  
à qua promulgatur, quæ talem, quæ se ipsa superior esse  
nequit, Grot. de l. B. & P. lib. 2. c. 4. n. 1. obligat, quomodo  
in gentem à sceptro suo liberè dissentientem vim habebit  
coactivam? Quod non latuit Paulum Ium, dum in l. f. ff. de  
jurisd. ita sermocinatur: *Extra territorium & supra jurisdic-  
tionem sui dicenti impunè non paretur.*

IX. Verùm enim verò durum alicui videri posset, ho-  
minem ab homine in tam duram conditionem accipi. Ast  
perpendat æquus æstimator, quòd ingenstelum sit necessi-  
tas, quæ in iure non habet legem e. quanto 4. X. de consuetud.  
humanam sc. aut ad humanæ modum factam Grot. de Jus.  
B. & P. lib. 2. c. 2. n. 6. Eleganter hoc exprimit Horat. l. 1.  
carm. oda. 35: *Sæva necessitas*

*Claves trabales & cuneos manu  
Gestans ahena, nec severus  
Uncus abest, liquidumque plumbum.*

Hanc divinus Plato lib. 10. de republ. Deam facit, matrem  
Parcarum, quæ & ipsæ nec prece, nec precio fleantur.  
Hinc l. f. C. de patrib. qui fil. distrax. patri permissum filios  
sanguinolentos, i. e. adhuc de matre rubentes, vendere,  
hoc effectu, ut emptor in iis servitii habeat facultatem,  
cùm aliàs notissimi juris sit, liberum corpus non recipere  
æstimationem l. 3. ff. si. quadrupr. paup. sec. dic. esse extra com-  
mercium § f. Inst. de empt. & vend. cujusmodi rei nulla est  
venditio. l. 34. §. 1. ff. de contrah. empt. Hodiedum admitti  
putant, filiumtam, tradi alicui domino ad ei serviendum  
posse certa mercede, ex qua pater vivat Christin. vol. 3. dec.  
65. Quia itaque evenire quoque potest, unum regimen  
cave-



cavere aliter non posse, nec alteri, ob fidei raritatem & alia, aliter cautum satis esse, non video, an hominem exuere jure dicatur illud imperium, quod quovis modo sibi optimè prospicit. Fateor de cætero ipse, triste hoc cautionis remedium eum, qui vitâ Christianus est, non, nisi dolentem exposcere, neque acerbius eo uti.

X. Moveo pedem, & venio ad *Imperium*, quod obsidem accipit. Obsidem assumere posse autumo omnem illam societatem, cui fides publica promitti potest, sive reipublica ea sit simplex, sive mixta, admittens vel non admittens superiorem præter Deum & ensẽ. Cum distinctione tamen. Si enim jura Principis, hoc est, Majestatem possideat, suo, sin secus, superioris nomine aut indultu, sive expresso sive tacito. Nec interest, Princeps ipse, an ejus auspiciis alius, v. c. Dux belli, accipiat obsidem. Et quia Statibus Imperii nostri jus tæderum, quod inter Majestatis jura optimo jure magnus refert Grot. *d. lib. 2. c. 15. n. 3.* (tædera enim non esse, nisi quæ jussu summæ potestatis fiunt, apud Liv. *lib. 9.* infelix ad turcas Caudinas ait Posthumus) competit, *Aurea Bulla tit 15.* quod & iidem obsidibus suæ securitati possint consulere, in proclivi est. Hoc jus in controversiam aliquoties vocatum tandem per instrumenti pacis §. 8. *ibi gaudeant* &c. corroboratum est, cujus explicationem vide apud Dn. Fridberg. ad Burgold. *part. 3. dissert. 2. n. 4.* Excepta tamen semper est ipso jure salus & incolumitas Imperii ac Imperatoris, Reinking. *lib. 2. c. 3. c. 3. n. 27.* quam in tædete specialem exprimere tutius est, ad evitandas malevolorum invidiosas interpretationes de conspirationibus illicitis, uti ex Menoch. *conf. 28. n. 14.* advertit Nicol. Myler. ab Ehrenbach. *tractatu de Statib. Imp. Rom. Germ. p. 1. c. 17. n. 10.* Hæc uti incidenter, sic obiter.

XI. Præ-

XI. Præterea tradita necesse est sit persona. Aliàs enim, pro votorum in dante, dando & accipiente diversitate, metus saltem aut spes est obsidem fore aliquem. Jam verò multa cadunt, ut in proverbio est, calicem inter & labra suprema. Dari autem ab iisdem posse obsides, qui eos queunt recipere, per se claret. Civitates superiorem recognoscentes (municipia in specie intelligo) idem posse censent. Quod respectu sui superioris dubium esse nequit. Sic Veliternos subditos Romanis sapius obsides dedisse testis est Liv. lib. 9. Sed major quæstio est, an & populo extraneo? Extra calum summæ necessitatis iustum aut indultum superioris hinc requiro, ne iis detur occasio illi præjudicium struendi. Nec existimo vel ipsam Majestatem ægrè laturam, si in bello v. c. omnium rerum necessitate circumventi subditi, quando nullum à superiori restat auxilium, hoc flebili beneficio, vitandi majoris incommodi causâ, utantur, non abutantur. Quod si enim, si meram defensionem respiciant, neque conspirationis speciem adversus superiorem admixtam habeant, hoc casu tolerantur fœdera, quæ rectius concordia quàm conspirationes dicuntur, uti probat multis Reinking. d. l. 2. c. 3. c. 2. n. 27. & seq. cur afflictos ad humanarum legum observantiam contra & ultra sensum humanæ imbecillitatis, qui in illis semper invenit locum, hæc adstringeremus?

XII. Quid quòd memoriæ proditum est, & illos obsides dedisse, qui non sunt universitas. Moscorum Principum à quibusdam effertur industria, quòd eorum, quos exercitibus, propugnaculis, aut ulli omnino muneri præficiunt, conjuges, propinquos, & quæ charissima habent, obsidum loco retineant, & in eis omnia cruciatus exempla exercent, si quis ex illis desciscat, uti ex quodam Reyn.

B.

Hei.

Heihesteno refert Larrea *dec. Gran. p. 1. disp. 9. n. 8.* Videatur hoc barbaris, uti Macedonum scævitia in liberos reorum Majestatis, egregium, non Christianismo. Leges nostræ justiores sunt, dum sanciant, ibi esse poenam, ubi est noxia *l. 22. C. de pœn. & latius ducunt impunitum relinqui facinus nocentis, quàm innocentem damnari. l. 5. pr. ff. eod.*

XIII. Sed ex priori nova pullulat dubitatio, an obfides possint dari inviti? Volentes posse, ambiget nemo, nisi circumstantiæ aliud suaserint vel extorserint. Plato in *Catone ex Socrate de patria debita reverentia* sic verba facit: patria sive mandaverit te verberari, sive in vincula conjici, sive in prælia miserit ad vulnera excipienda mortemque subeundam, parendam omnino est. Et quem latet, subditum, intellige purum, tutiorem esse sub clypeo obedientiæ, quàm resistantiæ? Ex Ciceronis oratione *pro L. Manili* discimus, Pompejum Cretenfibus, cum ad eum in Pamphiliam usque legatos deprecatorésque misissent, spem dedicationis non ademisse, obsidésque imperasse. Quibus è testimoniis colligere datur, & patriæ, & necessitatis ineluctabilis magnam in nos esse potestatem. Verum quidem est miserissimam fuisse semper, & adhuc satis miseram esse obfidum conditionem, de qua graphicè ex Appiano Alexandrino *de bellis Punicis* Hering. *de fidejuss. c. 20. §. 9. num. 73.* At cogitent illi ipsi, quibus pro salute publica tortè tam austerus bolus deglutiendus objicitur, quamvis vel maximè precariam quasi ducant animam, spem esse liberationis; tempus enim multarum rerum secum vehit medicinam. Interea se eo inter alia solentur, se aliquando tandem uberrimè fruturos sui famâ. Justinianus noster, Imperator gloriosissimæ recordationis, in *pr. Inst. sub. f. de excus. tut. & curat.* ait: qui pro republica ceciderunt in per-

perpetuum per gloriam vivere intelliguntur. *Ecquis vero & hos sua laude privabit, qui aliquando pro ea miseri fuerunt? De utroque, fortean in sensu magis alacri, Poëta:*

*Pro patria sit dulce mori licet atque decorum,*

*Vivere pro patria dulcius esse puto.*

XIV. Injuncta mentio est, ut vestigia retro legenti obvium erit, obsides nonnunquam ad placitum accipientis sumi. Quæritur eapropter an & legatum ad se missum & admissum Princeps loco obsidis retinere possit, si in suo quid meruat? Affirmat id Fridericus de Marslaer *in tra. Statu suo, qui inscribitur Legatus lib. 2. p. m. 363*. Sed ejus rationes tanti non sunt, ut ab opposita negantium sententia me dimoveant. Jus gentium siquidem non tantum mittentis cavet dignitati, sed & missi securitati, quocum tacitè quæque contrahitur. Licet igitur illi quidem non, huic tamen sic fiet injuria, Grot. *de jur. bell. & pac. lib. 2. c. 18. n. 7.* ubi allegat quoque exempla pro & contra. Salubre hoc in puncto suggerit consilium Paschalius *in suo Legato c. 22.* sub finem, ut sc. obsidibus, si fortè cum barbaris & omne jus gentium negligentibus populis sanctum legationis commercium celebrare necesse habeamus, legatis nostris consulamus, ni ad iniquas conditiones detrudi, & serò cum Phrygibus malimus sapere. Melius certè est occurrere in tempore, quàm post exitum vindicare, sentiunt Valentinianus II. Theodosius & Arcadius Augusti Imperatores *in l. C. quand. lic. unic. fin. jud. vind. &c.*

XV. Cæterum quòd dantur *ob fidem publicam*, in eo signanter differunt à fidejussoribus privatorum, qui, si debitor die definito solutionis moram faciat, promittunt se ad certum locum venturos, neque inde recessuros, donec creditor satisfactum fuerit, Ludwel *Disp. 12. th. 7. l. 1. F.*

Sed quia hi fidejussores hoc creabant non raro, sed &c, cum detrimento ipsorum creditorum, qua parte antea erant desinebant esse solvendo, optimo consilio hæc obstagia, germanicè *Leistung/Leistungsmahnung* / prohibita sunt per *Recess. Imper. de anno 1577. tit. 17. S. wie wohl auch/ Carpz. def. forens. p. 2. constit. 22. n. 30.* qui num, seq. putat etiamnum valere pactum, quo debitor se in certo loco staturum promittit, non quidem vi obstagii, sed alterius conventionis licitæ. Firmius tortassis obstagium jurejurando firmatum, quod servari sacri præcipiunt canones *e. 9. d. jurej. Struv. synt. jurispr. Exerc. 47. hb. 41. in f.*

XVI. Et quamvis in bellis frequentius obsidibus utamur, exinde tamen non sequitur, in statu pacato nullum eorundem esse usum. Quod Phrahates, Rex Parthorum, cuncta venerantium officia ad Augustum vertens, ei partem prolis firmandæ amicitiaë miserit, ejus vestigium deprehendimus in Tacito ann. 2. c. 1. Inter remedia, quibus de indemnitate sibi provident Principes, per quorum territorium innoxius militum petitur transitus, DD. collocant obsides quoque Maul. *de par. publ. tit. de collect. milit. Fritsch. de via. publ. c. 8. n. 8.* Hoc à Demetrio Seleucum postulasse, pro assertione hujus sententiaë incomparabilis adducit Grot. *de f. B. & P. l. 2. c. 2. n. 3.* Ubi-  
cunque itaque similis est necessitas, qualem n. 9. posui, ibi idem statuendum arbitror.

XVII. Denique quod in securitatem fidei publicæ obsides accipiuntur, per id noranter distinguendi sunt à deditis ob aliquod scelus admissum, vel in alio, vel in aliud territorium. Hi enim directe in pœnam, indirectè saltem in securitatem publicam extrahi solent, Et licet adhuc dum  
in Ma-

in Magistratus, qui reumprehendit, arbitrio sit (nisi aliud, uti inter vicinos nonnunquam fieri solet, conventum) an velit eum remittere ad *litteras*, ut vocant, *subsiliales*, an ipse punire, Carpz *prax. crim.* 3. q. 110. n. 48. & seqq. Richter *dec.* 15. tamen, præsertim atrocioribus in delictis, crediderim præstare, ut, cæteris paribus, remittatur facinorosus ad locum delicti, ob faciliorem probationem *arg. l. 2. C. ubi de ratioc.* in terrorem ejusdem loci hominum, in læsorum solatium & requiem *l. 28. §. 15. ff. de pæn.* Hæc dubio procul permoverunt Justinianum, ut hanc transmissionem, quæ olim non erat necessaria, *l. 7. ff. de custod. & exhib. reor.* sed modo à multis frequentabatur, *l. 11. §. 1. eod.* ad juris traduceret necessitatem, *Nov. 134. c. 5.*

XVIII. Et quemadmodum verissimum est axioma Philosophorum, qui vult finem, subaudi efficaciter, vult etiam media, ita sibi obsides accipientes prospiciant probè, ut tales eligant, quibus sibi cautum sit quàm optimè. Quod ipsum percalluerunt illi, qui Regum, qui Principum filios, qui nobilissimam juventutem, qui virgines, qui feminas pro obsidibus abduxere, de quibus spatium in præcedentibus. Sed occasione hujus ulterius quaritur, an quis securitatem suam populus, cum augmento sat mirabilis obsidum sortis, aded queat ampliare, ut hæc pignora fidei publicæ ex alio capite, ex quo neque data, siye principaliter, siye per justam illationem, sub initium sunt, neque ad quod ex pòst facto accesserunt, retineat? Pignus soluto debito, ob quod datum est, etiam alterius debiti causâ retinere potest creditor, *Lunic. C. etiam ob chirograph. pec.* Verùm quia non æquale est odium hominem ac rem teneri, quæ ad hoc nata est. *Grot. de I. B. & P. lib. 3. c. 20. n. 59.* negativam sequor. Et ne obses non ut obses, sed ut sub-

ditus violentis impetii, detineatur, cavendum pacto expressissimè adjecto, ne impletis promissis sub ullo prætextu illi abitus disputetur.

XIX. Addunt alii, quos inter fulgèr Bartolus in *l. obsides ff. qui rest. fac. poss.* jus vitæ & necis, si dans à fide recedat, recipienti competere in obsidem, ego consultò omisi. Præterquam enim quòd idem multi non sentiunt, advertendū est, jus illud demum ex post facto, eoque alieno, oriri, & ferinum esse supplicum, præsertim hujusmodi, preces spernere, Struv. *diss. de clade & victor. n. 135.* Gloriosissimè Scipio, referente Liv. lib. 28. ajebat, se non in obsides innoxios, sed in ipsos, qui defecissent, sæviturum, nec ab inermi, sed armato hoste pœnas expetiturum. Et an occidens ab homicidio formali (non movet nauseam hinc terminus, quia eligo potiùs clavem ligneam, ubi non suppetit aurea ejusdem efficacix) se possit excusare, ipso tremendo in judicio viderit. Deinde quid utilitatis ea ex crudelitate ad tyrannionem? Meliùs profectò obsidum utetur operis, quæ in alimentorum & impensarum vicem valebunt, atque ratione residui sorti imputabuntur, si sint alicujus momenti, nam minima non curat Prætor. Durum uti etenim esset, accipientem cum injuria dantis obsidem locupletari, *c. 48. de R. l. in 6.* sic nec à justitia abhorret, quòd obses dedentium impensis custodiatur & alatur. Qui laxo non vult esse sordior, nec superare amat immanem duritiam creditorum ante LL. 12. tabb., quâ debitor non solvendo inter plures creditores in partes sectus dispertiebatur, mitiora eliget.

XX. Insuper vel eorum, qui cruciati alieno delectantur, cruciandos servari interest. Longè enim satius est, si cum modo sæviant, eaque ratione principales per latus conti-

continuo fossos ad promissionis implementa promptiores faciant. Quid quod liberi & parentes de jure civili Justiniano, quod multis in locis servatur, sub metu extirpationis se invicem captivos, si modò possunt, tenentur liberare. *Nov. 115. c. 3. & 4.* & mulier pro excaptivando marito omnia expendens nequit conqueri, etiamsi maneat indotata *l. 20. ff. solut. matrim.* quod *Surd. consil. 367. n. 8.* ad metum carceris jure extendit. Hoc tamen exceptionem patitur in marito temerè se ære alieno gravante. Nec enim hujusmodi dilapidator cum detrimento uxoris negligere debet beneficium cessionis bonorum *per l. 1. & 11. C. qui bon. ced. poss.*, nec sexus muliebris fragilitatem in perniciem substantiæ earum convertere *pr. Inst. in f. quib. al. lic. vel non lic.*, uti saluberrimè monuit Consultissimus Dominus Præses in privatis examinat. *ad Schnobel. disp. 10. th. 4.* Hisce tamen casibus expensæ hæc è publico refarciendæ sunt. Non sustinemus, justissimè inquit augustissimæ recordationis Imperator Justinianus, aliorum onus ad alios deferri, *Nov. 43. c. 1.*, namque æquum est omnium contributione sarciantur, quod pro omnibus datum est. *l. 1. ff. ad. L. Rhod. de jact.*

XXI. Taceo impræsentiarum, quia ad finem propere, damnum ex violata fide levidense esse posse. Quis autem, sit v. c. in permisso transitu à milite pecus una aut altera abacta, ea propter in casu denegatæ satisfactionis obsidem necaverit? Catone ergo necesse est sit severior, qui jus vitæ & necis intimis obsidum inhæreere ossibus absolutè statuit. Postremò, quos hæc allata nequeunt, mutationes rerum permoveant. Haud novum est aliquos magis pro vindicta trucidatorum, quàm pro decore viventium decertare. Morientium sicuti belluarum acerrimi sunt morsus, ita prudentes nunquam flocci habuere impetus in tempore se  
se vin.

se vindicantium, qui auxilium desperatè ab audacia solent mutuari.

XXII. Quòd verò Menoch. *arb. q. 7.* & cum eo alii opinantur, pactum, quo obses vitam & sanguinem in subsidium non impletorum promissorum obstringit, valere si moribus firmetur, concedo de jure externo, sola impunitate scilicet, non interno, quod demum ipsam tranquillat conscientiam. Quandoquidem enim nemo est dominus suorum membrorum. *l. 13. pr. ff. ad L. Aquil.*, quod jus civile non introduxit, sed exposuit saltem, non capio an solo consensu, citra crimen patratum, quis hoc, quod ipse non habet, vitæ & necis dominium alteri possit dare contra *cap. nemo 79. de R. l. in. 6.* Forsitan, quando obses est in numero graviter delinquentium, aut postea fidem à se datam in re magna fallit, supplicium vacabit injuriâ, *Grot. de I. B. & P. lib. 3. c. 11. n. pen.* Ita ex Strabone memorat Bodinus *de rep. lib. 5.* postquam in Veliternos, totiens rebelles, graviter sævitum, quòd eorum obsides capite luerint.

XXIII. Porrò quòd jure Digestorum non nisi permisso testari quiverint obsides, durum videtur aut abundans. Durum, si intelligas de obsidibus à populo Romano datis, quibus pro tanto onere, quo duplicato nemo deber prægravari *l. 4. §. 2. ad L. Rhod. de jact.* quod pro republica sustinebant, beneficium potiùs debebatur. Abundans, si de iis, quos ab extraneis acceperunt Romani. Nam hi jam alio ex capite testamenti, prout in jure nostro strictè capitur, factionem non habebant, quòd essent peregrini. Quibus tamen omnibus Imperator Fridericus id postea permisit, *auth. omnes peregrini c. comm. de success.* At quoniam eo sine saltem detinentur obsides, ut timore atque coercitionis exactius capitulationum steter conditionibus,



bus, *caus. 23. cap. suppliciter 18. q. 8. cap. exposita 11. de arbitr. & cap. ex rescripto de iurej.*, DD. statuunt obsides hodie posse testari, Bartol. in *L. obsides ff. qui testam. fac. pass. Bald. l. 1. n. 19. C. de SS. eccles.* Servitutibus sublatis (cum barbaris, & immanissimo Turca præsertim, alio reciprocationis jure urimur) obsides manere liberos extra dubium est collocatum.

XXIV. Imò subtiliter disputari posset, num temporibus antiquis illi servi semper facti fuerint, nec ne. Quoniam autem hic labor esset frustraneus, & subtilitates sine utilitate non sunt sequendæ, *arg. l. 7. in f. C. de institut. & substit.*, consultò brevis sum, Apud Romanos obsides pro servis non semper fuisse tractatos, neque bona eorum in fidecum quovis tempore esse redacta, testatur *l. 32. ff. de jur. fisc.* Quotquot enim acceperunt ulum togæ, civibus Romanis æquales judicati sunt. Eò collimare videtur Virg. 1. *Aeneid. vers. 286.* cum

*Romanos rerum dominos gentemque togatam*

appellat. Quantus togæ honor apud Romulides præscos sit exhibitus, quòtque ejus fuerint species, meum non est persequi. Ea qui cognoscere anhelat, inter alios adeat Rosini *An. 119. Roman. lib. 5. cap. 32. cum paralipom. ad idem.*

XXV. Ordinis ratio pedetentim aurem videtur velle care, ut veniam ad favore dignissimam spem, ad obsidum votorum seriem, ad eorum nempe liberationem. Tritus juxtà ac immotæ veritatis canon est Philosophorum; obtento sine cessant media. Finis, uti in antecedentibus deduximus, ob quem obsides sumimus, est publicæ fidei securitas, quâ in tutum perductâ odiosum hoc cautionis medium extingui, perspicuum est vel leviter rem hanc introspectanti. Ex quo per justam consequentiam facillimè educitur, obsidem, promissionum conditionibus

C

non-

nondū expletis, minimè fugā sibi posse consulere. Quem admodum nec hoc in casu, à fidem debenti territorio v. c., recipitur citra noxam. Ad hoc namque regulariter datus est obses, ut maneat in accipientis potestate, usque dum promissis aut creditori fidei publicæ sit satisfactum. Quid enim, ex æquitate naturali querit Ictus Ulpianus *in pr. ff. de pactis*, tam congruum fidei humanæ, quàm ea, quæ inter eos, contrahentes sc., placuerunt, servare. Porfenna, memorante Liv. *lib. 2.*, Romanis interminabatur pro rupto se fœdus habiturum, nisi remitteretur obses, ad quod illi ipsi pignus pacis ex fœdere restituerunt.

XXVI. Scio objicient mihi Clælia factum, qua Duce virgines Porfennæ Hærrusco obsides missæ tranato Tiberi effugerunt. Quibus à Romanis, pro inviolatè servando religionis fœdere, remissis Porfenna factum Clæliæ laudibus & præmio profecutus est, dum ei equum splendide phaleratum donavit, dum virgines liberas dimisit Romanam. Livio *d. lib. 2.* non tuta solum, sed honorata virtus id vocatur. Distinctionis fœdere hæc concilianda sunt. Iusu civitatis Clælia cum virginibus advenerat obses, ego loquor de obsidibus, in quorum constitutione intervenit ex omnilaterè in idem placitum conventio. Quamvis enim non inficiar civitatem v. g., in angustiis quando constituta est, posse vel invitum è civibus dare obsidem, non tamen illius animus fuisse videtur obligandi eum ne aufugeret, sed hosti dandi facultatem qualis vellent custodiæ, verba sunt Grorii in hujus rei enodatione *lib. 3. de I. B. & P. c. 20. n. 54.*

XXVII. Longè alia à superioribus ratio habenda eorum est, quos hostes pro libidine summæ fortunæ, in qua id æquius sæpe est quod est validius, citra mutuum pactum abductos, ad emungendum argento hostem, pro obsidibus

fidibus fore minitarent. Hocse à suo populo, quousq; in eorum, ut ita dicam, obsidatum non consensit, salvo jure (an temperatò, alia inspectio est) posse recipi, claret, quandoquidem populus nihil hoc in passu promittendo nihil debet, quandoquidem illi sponsores publici esse nequeunt, cum accessorium sine principali oriri nequeat. Hi sunt regulares captivi, qui per jus gentium licitè fugiunt, & simul ac hostium evaserunt potestatem, recipiunt pristinam libertatem, *l. 7. pr. ff. de acq. rer. dom.*, quæ ad hodierna tempora cum grano salis applicanda est. Jure veteri per postliminium res in pristinum statum restituebantur, *l. 19. pr. ff. de captiv. & de postlim.* quo rediisse putabantur, cum in fines nostros, vel socios & amicos venerant, *d. l. 19. §. 3.*, per quos tamen socios & amicos intelligendi non sunt simpliciter quibuscum pax est, sed qui partes in bello easdem sequuntur Grot. *de I. B. & P. lib. 3. c. 9. n. 2.* qui *n. f.* subnectit quando hodiè que locum possit habere postliminium. Aliud dicendum si populus & captivus laxiùs habitus postea interpoluerint fidem.

XXVIII. At verò, si omnibus requisitis legitime adhibitis obses nihilominus fugiat, id fidem violantis superioris, nisi ejus dolus vel malitia concurrat (quo casu applicari certo sensu potest id, quod habet *l. 7. §. 1. ff. de dol. mal.*, qui compeditum servum non misericordià ductus solverit, furti tenetur, qui eà motus in factum actione) imputari nequit. Quemadmodum nec ei prodest, datum obsidem fugisse, ad minuendam obligationem. Debito principali eorruente, sive solutione ejus quod debetur, *pr. inst. quib. mod. toll. obl.*, sive aliis modis, *d. tit. per tot. ibiq. DD.* fidejussores quoque & omnes accessiones concidere, vel ex terminis liquet. Secùs est si velis hoc reciprocare. Unde fa-

cili negotio hoc quoque deciditur, licet obses, dum adhuc  
 obses est, à reliqua rerum natura abdicetur, non idcirco  
 territorium v.g. à quo fuit obses traditus, liberari in puncto  
 cardinali, neque in totum, neque in tantum. Inconveni-  
 ens quippe valde esset opinari, cum periculo accipientis  
 obsidem terminum fatalem attingere. Quæ verò sunt  
 ejusmodi, ut sine culpa accidant, quorum in numero et-  
 iam mors ac fugæ custodiri non solitorum collocantur, re-  
 gulariter præstantur à nemine *l. 23 ff. de R. I.* Et sanè, si aliter,  
 sive tempori, sive affectibus servientes, statueremus, id,  
 quod in securitatem crediti adhibetur, tristissimo errore in  
 periculum illius converteretur, cum nihil tamen notius sit,  
 quam ne pactum quidem expressum, quod ipsam contra-  
 ctus essentiam infringit, valere *arg. l. 29. §. 2. ff. pro soc. l. 12.  
 pr. ff. de precar. l. 1. §. 45. & seq. ff. de pos.*

XXIX. Haud absurdè insuper quæritur, an pro ob-  
 sidi dari possit obses æquè idoneus. Volentibus omnibus,  
 quorum interest, posse id fieri, certissimum est, quia illis non  
 inferitur dolus *l. 34. C. de transact. cum & sine eo possint favo-  
 ri pro se introducto renunciare tanquam rerum suarum mo-  
 deratores & arbitri l. 21. C. mand.* Ita Romani fœderi inse-  
 ruerunt, ut tertio quoque anno obsides mutarentur, Ap-  
 pianus Alexandrinus *de bellis Syriacis* ac ex eo Hering. *de  
 fidejussor. Cap. 20. §. 37. n. 14.* At invito unum pro alio non  
 posse obtrudi, itidem existimo *arg. l. 9 §. 3. ff. de pign. act. l. 45.  
 §. 2. ff. mand.* Quod non solum in summo Magistratu, quò  
 id *ulterior* obtinens in republ. in terris non agnoscit superio-  
 rem, ad cujus legum teneatur observantiam, sed etiam in  
 subordinatis Magistratibus verum est. Et quamvis putave-  
 rit quis, hoc à me non esse omittendam, quo citra meum  
 damnum alteri queo prodesse, *arg. l. 2. pr. ff. soluto matrim.,  
 attra.*

attamen nullis fideiculis exinde elicietur, me ad id, quod gratificationis est, posse cogi *arg. l. 40. pr. ff. de judic. contra naturam contractuum*, qui ex conventionione substantiam indipsuntur. Ne dicam in facto, quod non præsumitur, sed cum tractu temporis causæ cognitionem requirit, maximè si quis è principalibus contradicat, *Hering de fidejussor. c. 20. §. 37. n. 16.*, consistere, an obles ille alter sit æquè idoneus. Quis verò ægrè feret, me verecunda cogitatione lites execrantem hasce molestas ambages subterfugere *arg. l. 4. ff. de al. jud. mut. caus. fact.* Potius certè cum, quem nactus sum semel, retinebo, siquidem novissima primis non semper meliora sunt, *arg. l. 1. in f. pr. ff. de appell. & relar.*

XXX. Cautio, quam suggerit Bodinus *de rep. l. 5.* in liberandis captivitate Principibus, qui obsidibus cavent, ut vites in utramque partem pares sint obsidèsque eodem momento in sinibus imperii, quo captivus Princeps liberatur, ne hic cum illis perfidè teneatur, locum aliquando habere quoque potest in liberatione ipsorum obsidum. In obsidiis urbium, quando per inducias utrinque dantur obsides, hunc ferè in modum præceditur. Exempla suppediant hodierna, quæ funestissimè geruntur, bella. Sed quid factò opus est, si ex uno saltem latere intervenientes obsides promissis impletis frustratoriè detineantur? Bello hos vindicari posse non dubitem. Cicero *Verr. II.* Quot bella majores nostri susceperit quòd cives Romani injuriâ affecti, navicularii retenti, mercatores spoliati dicerentur? Semper autem consultum putaverim hoc in casu, nisi aliud ex mora subsit periculum, priùs amicabile colloquium aut arbitrium tentasse. Omnia, inquit Terentius, priùs expectari verbis, quàm armis sapientem decet, nec contugien-

dum ad violentum genus disceptandi, quousque uti licet  
discertatione ipsa, Cicero *de offic.* 1.

XXX. Verum si periculum ex bello immineat majus  
injuriâ factâ, Rectoris officium erit magis circa totum,  
quàm circa partem versari Grot. *de l. B. & P. lib. 2. c. 25. n. 2.*  
Eo etenim rerum cardine tutius est minus malum, quod  
secundùm Aristotelem respectu majoris induit rationem  
boni, patienti ac forti animo perpeti. Melius quandoqui-  
dem est aliquam retinere rempublicam, quàm planè nul-  
lam. Stulta est solertia in superante domus incendio circa  
in ordinem redigendam suppellectilem atque struendum  
focum occupati. Sed quis quæso omnes circumstantias sa-  
gaci mente præviderit? Ille satisfacit, qui ad facti emergen-  
tiam jus dextrè applicat, in quo officium JCI unicè volvi-  
tur. Ipse Princeps, qui præsumitur omnia jura habere in  
scrinio pectoris sui *l. 9. C. de testam.*, jura generaliter, non in  
singulas personas constituit, *l. 8. ff. de LL.*, quia sic, ut omnes  
calus incidentes comprehendant, scribi nequeunt, *l. 10. 12.*  
*ff. eod.* Non lubet itaque evagari latius, sed finio cum voto  
ad Magistratus Christianos, ne in oblidem stricto jure  
semper uti, ne velint eo abuti unquam. Sic fiet, ut  
ipsis aliorum abusus non imputetur, eùm navigent  
& piratæ, cum ferro utantur  
& latrones.

Soli Deo Gloria.





OBSIDIS humani generis dum jura fi-  
démque


Dira morte ratam colimus pietatis a-  
more:

Docte WAGENFELDI magno molimine pandis  
OBSIDIBVS quæ jure patent & moribus æquis  
Conveniunt. Sic ipse tuis meritis patriæque  
Atque PATRI claro tandem certissimus OBSES!

*Prompta voluntatis in eruditissimum dissertationis  
de OBSIDIBVS Autorem ejusque Clarissimum  
Parentem, suum in Illustri Gymnasio patrio  
quondam Præceptorem, venerationis perpetua  
OBSIDEM*

*L. Mg. exstare voluit*

HENRICUS DUYSING, S. Theologiæ  
D. & Professor Ordinarius & h. t. Fa-  
cultatis Theologiæ Decanus.



Summum, si velles, cum laude capessere posses  
In Jure utroque præmium.  
Ast quia non titulum, sed rem mage semper amâsti,  
Contentus hâc nunc esse vis.

Ergo

17



Ergo tibi ex animo de re quoque gratulor ipsa  
Doctumque Te esse gaudeo.  
Quin etiam ingentes tibi fructus opto laborum,  
Quos fortiter defunctus es.


*Sic amico suo suavissimo haud fucate gratulari  
& precari voluit*

CHRISTIANUS DROSEMAN,  
Pastor Timkenfis in Ducatu  
Bremenfi,

Cur nitido scripto conscendis pulpita juris?  
Vt videant partum non sibi degenerem.  
Cur socio linqvis gnaræ vestigia mentis?  
Ne neget ingenium condecorasse fidem.  
Pulpita gratantur Musis, gratatur amicus,  
Sed mihi totus abis! Sed mihi totus ades!

*Sic valedicenti amico acclamabat*

JOACHIMUS GIFFENIUS,



ULB Halle


3


006 301 096



VON 17







*Opus de obsidibus*

DISSERTATIO JURIDICA  
DE  
OBSIDIBUS.

10

1677, 1

Quam

Deo O.M.clementer annuente,

72

Sub PRÆSIDIO

DN. JOHANNIS  
TESMARI,  
ANTECESSORIS in Alma  
Cattorum,

*Ad diem XXIV. Martii, loco horisq̄ue ordinariis,  
Publicè propugnatum ibi*

HENRICUS WAGENFELDT,  
BREM. SAXO, Auth.



MARBURGI CATTORUM,  
Typis SALOMONIS SCHADEWITZII, Acad. Typogr.  
Anno M,DC,LXXVII.